



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu

Schwertfer, Wenzel

Pragæ, 1673

Caput V. Quem modum in diurnis actionibus servaverit; in surgendo
præsertim, in Orando & ministerio Missæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-43132

12100 C A P U T V. 15

erat, meminisse imprimis ad quodcunque negotium, quacunque horâ vel momento evocatum Voluntate DEI se citari ad hoc vel illud præfenti tempore peragendum. in quo, si quid adversitatum aut molestiarum intervenisset, debebat id per *Sustine* complanari. Si verò illecebrarum aliquid aut inordinatarum cupiditatum se misceret negotio, per *Abstine* dissipari. Quibus principiis altè animo infixis, sic demum ad hypotheses descendit.

C A P U T V.

Quem modum in diurnis actionibus, servaverit, in surgendo præsertim, Orando & Ministerio Missæ.

Usius nos detinebimus in Tyrocinio, varias ob causas. maxime quòd, sicut proximè dictum, tale fundamentum jecerit virtutis eo tempore, ut eadem Imago, vitæ reliquæ decursu visa & retenta, licèt haud dubiè excellentium colorum adjectione, puta virtutum precio & affectûs intensione ornata fuerit. Sive quòd easdem actiones Religiosus, Sacerdos, Graduatus, privatus & Superior obierit, pro distributi temporis in Societate consuetudine:
 oib
 Acce-

16 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

Accedit & hoc motivum, quod me fusiùs in ejusdem exemplari Tyrocinio detineam ob humilitatem virorum excellentium, qui minimi & recentissimi cujusque Tyronis actus ex virtute ductos, pro idea sibi arripere non dedignantur. Accedit denique eum quorundam gravissimorum Patrum in Societate sensum fuisse, ut, quo semel in Tyrocinio spiritu imbuti fuerint, ferè tantùm in ejusdem augmentatione creverint, nisi fortè miraculosè repentinas ad sanctitatem mutationes excipias ob infinitam Divinæ Bonitatis eviscerationem, vel ob victorias quasdam atque occulta martyria, quibus DEUS à liberali creatura provocatus, *liberalius penù sanctitatis reserat*, & gratiis supra cursum ordinarium profusiùs redonat. Habemus ergo nò fallor omnes etiam provecti ætate, quod in Tyrone Martino suspiciamus, imitemur, & cujus gratiâ detenti, non nihil in hac data Idea immoremur.

Audito igitur manè regulari signo ad surgendum, exiliebat sinè mora, & adoratæ tanquam præsentis & evocanti se Divinæ Voluntati respondebat: *Ecce adsum, ecce venio, Domine quid me vis facere? Sive ire jubes ad lucem aut tenebras, sive ad otium & labores, sive ad solatia aut acerbitates, sive per aquam & ignem, ad vitam aut mortem: DEUS meus volui, & legem tuam in medio*

dio

dio cordis mei ita defixi, ut non nisi juxta eam omnia mea, quies & motus dispensentur. Quos pios sensus dum inter amicum se & agenda alia continuasset, dato alio item signo Regulari ad Exercitium Orationis Mentalis, rapi ad illud, non ferri videbatur, cum ea tamen motuum corporis moderatione, quæ omnem perturbationem & inordinationem excluderet.

Et quia pulcherrimè verecundus in conspectum Divinæ Majestatis, coram qua eo tempore compariturus erat, non debere se inurbanè ac rusticè solum irruere sentiebat, semper duorum Divorum Patrocinio protectus, Angeli videlicet Tutelaris & Patroni mensurari, id aggrediebatur, quibus perductoribus cum in sua statione se fixisset, & profundissimâ animi demissione præsentem DEI Majestatem fuisset veneratus, agendique ac orandi coram ea potestatem sibi factam non temere confideret, educebat per partes ex thesauris memoriæ pridie ordinatæ, & per silentia noctis maturatæ Orationis deposita, & ea educta apprehendendo expendebat, judicando illustrabat, & extendebat deducendo in consequentiam, & aliorum Adjunctorum sylvam. quam in vicina voluntate habitans Charitas, cum in pabulum suis ignibus natam præsumeret, allambebat eandem, & ita suis ignibus interdum accendebat, ut intra orantem arde-

C

rent

18 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

rent omnia, & corde simul & carne ejus in DEUM exultante liqueceret idem; nec suavissimis solum lacrymis diffunderet, sed & in salutare DEI totus deficeret. Augebat verò non raro hæc incendia, Eloquium Domini ignitum vehementer, quo in cor orantis penetrante, & divisiones spiritûs & carnis, compagum quoque ac medullarum alterationes sequebantur, quales non nisi cælitus optari, & à tanto Artifice possunt expectari. Huic orandi modo, ubi hora elapsa finem imposuisset, repetitâ DEI veneratione, & utrique Perductori suo singularibus gratiis actis, recipiebat se Orator ad seipsum, & decursum Orationis suæ accuratè examinabat, diligenter in aberrationes inquirens, & relapsus, in deprehensas severissimè sibi deinceps interdicens: è successibus verò illustrationes, intelligentiæ & permotiones voluntatis, seu Sanctos affectus potissimum deligens quas in Enchiridion bipartitum, in Lumina & Gustus inferret, revocandas in memoriam tempore caliginis ac tenebrarum, arescentisque ac desolati cordis, tum ad leniendam ejus temporis conditionem, tum etiam ad juvandos per eas opportunè alios, quibus fortè communicandæ viderentur. Quod quidem Enchiridion postquam ex mandato Magistri Tyrocini, ijs etiam divinis visitationibus refertum fecisset, quæ ei extra Orationis

nis

nis tempora, sive inter legendum, audiendumve, sive inter operandum, vel inter exercenda, quæcunque alia Religiosa officia obvenerunt: crevit id per solum Tyrocini tempus in librum, virtute in bibliothecam, fructu verò in admirabiles animorum commotiones, quæ in eis sequebantur, in quos ex memorato Enchiridio aliquid, sive inter conversandum, sive alijs occasionibus derivabat.

Reliquum temporis inter orationem & adeundum sacrificiũ decurrentis, recitandâ parte Officij B. V. alijs partibus per diem distributis, consumebat, non tacendâ sanè cum industria. Nã ut eam recitationem devotissimè perageret, eximios quosque Divos, Virginis DEIparæ cultores ad se cum alternatim recitandum invitabat; jam D. Joannem Evangelistam, jam D. Ignatium Antiochenum; jam Joannem Damascenum, jam D. Ildephonsum, jam Bernardum aut Bernardinum, aliũve similem. Quorum singulorum affectus, dum in se conatur exprimere, admirabilis, Virginis Beatissimæ Cultor est effectus, non sinè continuo suo Mariano emolumento. Siquidem quotidie experiebatur ità se MARIANÆ protectionis pallio esse circumdatum, ut id sibi esset tegumentum in pluvia, & umbraculum in æstu, & securissimum in omni adversitate præsidium.

20 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

Evocante horâ ad sistendum se vel ministrandum sacrificio, quandoquidem illi ministrandum erat, tantâ id, tamque eleganti devotione præstabat, ut non politissimos solùm in aulis Principum ephæbos superare, sed cum ipsis etiam Angelis, piis affectibus & sacris ritibus certare videretur. Frontem illi explicabat hilaritas (en modestiæ superiùs depictæ speciem) radiantem oculos maximâ ex parte velabat reverentia; genas suaviter tingebat verecundia; manus componebat & pandebat venustas; gressum regebat decentia; totum denique corpus, inusitatum quendam sensum præsentis Divinitatis, Ministro huic inesse indicabat. Unde non pauci Religionis cultores eximij eo nomine se etiam ad sacrificia potèntiùs trahi asserebant, quòd Angelicus Minister assisteret, quòd Martinus Stredonius ministraret.

Quando verò sola ad Sacrificium adferenda erat præsentia, desiderium imprimis ingens in se excitabat offerendi illud Divinæ Majestati in recognitionem Supereminèntis Excellentiæ illius ac Domini in vitam suam ac necem, totumque suum esse ac posse, ad eum modum, quo illud teste Salvatore multi Reges & Prophetæ concupiverunt videre & offerre. Tum lustrante se & purificante Sacerdote initio per humilis pœnitentiæ & Confessionis actus, emun-

emundabat & ipse animum, & conterebatur corde ad justitiam, & nihilominus Domino confitebatur, ore ad salutem. Postquam verò ad tenorem Precum, Ecclesiæ intentionem, & ad sacra monita ac dogmata, quæ ante oblationem publicari solent, attentionem adjunxisset, conjungebat utrumque hoc in oblatione, & ferventissimis affectibus DEUM provocabat, ad acceptandum placabile hoc sacrificium, & ad miserendum ejus intuitu Mundo universo, Ecclesiæ toti militanti, Ordinique suo, sibi, amicis, privatis & inimicis. Subsequente verò sacrâ sumptione Sacramenti, spiritualiter communicaturus, in omnes illas formas, quas à Magistro Spiritûs ad devotè communicandum traditas acceperat, successivè se induebat.

Aliàs quoque Spiritu Sancto specialiter docente comparatas, subinde his admiscens, ex quibus, eâ, quæ erat Evangelici catelli famentis, & micæ de mensa Domini sui piè sollicitantis, frequentius utebatur, eò quòd cum eam aliquando singulari cum devotione usurpâisset, expertus quodammodo fuerit, curiam Cœlestem universam, pro se Divinæ Majestati, coadunatis precibus supplicâsse, ut tam humilem, tamque piè sollicitantem catellum, bolo aliquo reficere dignaretur. Dum demum extrema sacrificij gratijs alijsque ritibus complerentur,

peractis cum sacrificante modestissimè gratiis, duo sibi imperabat. Alterum, ut quia cœlesti Alimoniâ partus esset, ad obsequia & voluntatem Patris Cœlestis explendam, operando opera DEI totus incumberet; alterum, ut quia Divinâ per sacrificantis manum benedictione contactus & Cruce signatus fuisset, pugnas & bella Domini, non solum adversus carnem & sanguinem, & adversus spiritualia nequitiae in cœlestibus, meditaretur, sed & adversus omne id quod nõsset DEO adversari, fortiter susceperet, & constanter conficeret.

C A P U T VI.

Præclara Martini eruditio in Asceticis, per tempus Tyrocinii comparata ex continua applicatione, ad virtutis & Regularum normam.

In actionibus ex Regula & Virtute ducendis, duo sibi Magnetis ad instar, qui *sequiturque fugitque*, facienda destinaverat. *Observantiam* & *Negligentiam* præ oculis habendo. illi ut mordicus adhæreret, hanc ut totus fugeret. quibus impulsibus & exercitationibus, eò fuit progressus, ut ad observantiam Regularum ac Virtutis
totus,